REVERENDISSIMO D.

EMERIX DECANO.

Cæsaraugustana Iurisdictionis.

Veneris 8. Februarij 1692.

CVM sub die 10. Decembris proximè elapsi, proposito duplici Dubio per me subscripto, primo scilicèt super Remissoria, & altero super Meritis; responsum fuerit, *Remissoriam esse denegandam*, ac suspensa super Meritis resolutio, cũ ordine tamen, quod causa desupèr reproponeretur omninò in tertia Rota post Reges, dedi hodiè, expectatis paulò, vlteriùs Agẽtibus pro Capitulo, quò magis commodè parari possent ad Causæ disputationem, Dubium: *An possit Reverendissimus Archiepiscopus visitare Ecclesias Sancti Salvatoris, & B. Mariæ del Pilar Cathedralem Metropolitanam Cæsaraugustanam nuncupatam, earúmque novum Capitulum, & in dictis Ecclesijs, & contra idem Capitulum omnimodam Ordinariam Iurisdictionem exercere, & respectivè procedere iuxta formam Sacri Cõcilij Tridentini sess. 25. cap. 6. de Reformat. vel potiùs obtest prætensa exemptio?* Cui Domini maturè perpensis elaboratis allegationibus vtrinque datis, *Affirmativè quoad primam Negativè autem quoad secundam partem* rescripserunt.

Moti sunt autèm in hunc sensum ex generali Iuris assistentia, quam habent Episcopi pro explenda visitatione quarumcumque Ecclesiarum suarũ Diœcesum, *Can. Relata; Can. Episcopum, & Can. Placuit 10 quæst. 1. cap conquerente de Offic. Ordin.* & signantèr Cathedralium, earumque Capitulorum, *cap. 1. in princ. & §. 1. de Censib. in 6. Extravagan. debent de Offic. Ordin.* ac pro exercenda in ipsis Ecclesijs, & Capitulis omnimoda Ordinaria Iurisdictione, *cap. 1. cap irrefragabili, vbi gloss. in v. Capitulum, de Offic. Ordin. cap. cum Episcopus, eod. in 6. & cap. cum personæ, de priv. in 6.* Maximè post Sacrum Concilium Tridentinum, quod Episcopis restituit, ac summoperè commendavit Visitationem, & Correctionem Cathedralium Ecclesiarum, & Capitulorũ, sublatis quibuslibet contrarijs privilegijs, etiam ex fundatione competentibus, necnon consuetudinibus etiam immemorabilibus; sententijs, concordijs, & iuramentis, vt *in sess. 6. cap. 4. & sess. 25. cap. 6. de Reform.* ac referendo illius dispositionem notat *Spad cons. 155. num. 4. lib. 1. Rota decis. 743. part. 1. decis. 709. num 3. part. 4. divers. decis. 105. num. 19. part. 7. decis. 254. num. 20 part. 19. Recent & decis. 109 ferè per tot. coram Dunozett. Iun.*

Neque ad elidendam hanc Iuris assistentiam recurri valet ad privilegium Exemptionis, quo per fa: me: Sixtum Quintum anno 1588. decorata fuit Ecclesia B. Mariæ, cõtendendo, quod illud fuerit successivè transfusum etiam in Ecclesiam Sancti Salvatoris, vigore promiscuæ, & incorporativæ vnionis vtriusque Ecclesiæ, factæ per san: mem: Clementem X. quæ efficit, vt Ecclesia formalis ex duabus materialibus constituta, potiatur, & gaudeat privilegijs pinguioribus, ac magis proficuis alterutrius earum, *vt tradit gloss. in Can. Et temporis qualitas, v. venire 16. q. 1 & in cap. novit v. vniendo nè Sed vacant. &c. vbi Innocent. n. 1. Panormitan. n. 6. Imol. n. 7. Io de Anan n. 3. Butr. n. 10. Fagnan. n. 3. Petr. de Perus. de Vnion. Eccles. cap. 1. n. 1. & seq. Campeg. eod. tract. n. 5. & seqq. Garz. de Benefic. part. 12. cap 2. n. 7 Sanchez ad præcept. Decalog. lib. 7. cap. 29. n. 146. Barbos. de Iur. Eccles. lib. 3. cap. 16 n. 5. & seq.* & in puncto privilegij Exemptionis firmat *Lap. in cap. cum personæ, § Si verò, n. 5 de privil. in 6. ibiq; Gemin. n. 3. Anchâran. n. 6. Io. Andr. n. 9 Franc. n. 4.*

Quandoquidem huiusmodi provilegium Ecclesiæ B. Mariæ, quod est vnicum subiectum totius controversiæ, ex duplici capite caducatum fuit, ac resolutũ ante ipsam vnionem, primo nempè ex declaratione Cathedralitatis eiusdem Ecclesiæ, ac secundo ex ipsius sæcularizatione. Ex declaratione inquam ipsius Cathedralitatis, quia de tempore, quo privilegium emanavit, ignota prorsùs erat Cathedralitas Ecclesiæ B. Mariæ, nedum Papæ concedenti, qui in toto privilegio, in quo etiam inservit aliud eidem Ecclesiæ

clar-

elargitum per eius Prædecessorem Clementem VII nunquam illan nuncupavit honorabili titulo Cathedralis, sed modò Monasterium, modò Conventum, modò autem simplicitèr Ecclesiam. Verùm etiam ipsismet Capitulo, & Canonicis præfatæ Ecclesiæ, qui in longa serie litium, tam præcedentium, quàm subsequentium, quas in hoc nostro Tribunali suo sustinuerunt super diversis iuribus, & praeminentijs, contra Archiepiscopum, cótra Ecclesiam Sancti Salvatoris, & contra alias Cathedrales Ecclesias Regni Aragonum, vsque ad annum 1620. quo demùm tempore Cathedralitatis contentio inter easdē Ecclesias promota, ac in Iudicium deducta fuit, semper, & vbiq; præsupposuerunt, & allegarunt Ecclesiam pro simplici Collegiata, non autèm pro Cathedrali, vt in pluribus decisionibus adductis per Informantes; imò ex defectu ipsius Cathedralitatis pluriès succubuerunt in præcedentijs, & alijs iuribus præeminentialibus, vt *in decis.*1619 *& dec.* 1651. *coram Coccin ac decis.*234. *coram sa:me: Gregor.XV.*

Declaratâ igitur post annum 1620. per tres Sententias Rotales conformes, Ecclesiæ Cathedralitate, cessavit ipso iure privilegium exemptionis, ex ratione mutationis status Ecclesiæ, quæ per hanc declarationem trásformata fuit in novum Corpus cũ novo Præsule, qui est Episcopus, vt tradunt communitèr *Canonistæ in cap cum inferior per eũ Text. in d. maior it. & obedient. Gratian. discept.*458.*n* 9.*& plurib seqq. Card. de Luc. de Iurisd. disc* 10 *n* 5. *Rota decis.*1444.*n* 6 *vers. sexto allegatur coram Card. Seraphin. & in Lauretana Iurisdictionis impressa decis.*313.*n* 9 *& seqq. part.*4.*Recent.* ac etiam ex defectu intentionis Papæ, qui si scivisset, Ecclesiam esse Cathedralem, aut illam nõ exemisset, aut certè longè difficiliùs ob nimiam exorbitantiam, ac monstruositatem huiusmodi exemptionis, per quam Episcopus privatur sua Sponsa, ac membra separantur à suo capite, quod sufficit ad hoc, vt privilegiũ corruat ex defectu intentionis, *cap. cæterum* 3 *de Rescrip. Abb. in cap. ad aures* 8 *n* 5 *eod. tit. Lotter. de re benefic. lib.*2.*q.*54.*nu.*13 *&* 14. *Rot. decis.* 225.*n* 5 *par.*7.*decis.*205 *n.*5 *&* 6 *par.*13.*decis.*235 *n.*16.*par.*15.*Recent. decis.*612.*n.*29.*corã Cavał. & in Iannen Abbaciæ* 8 *Iunij* 1676 *§ Nõ obstat, corã Me.* Præsertim quia post Concilium Tridentinum vix forsan allegari valet casus, quo per Sedem Apostolicam concessa fuerit similis exemptio.

Nec scientia Cathedralitatis in Sixto elici valet ex eo, quod ipse moram traxerit in Hispanijs, quod versatus fuerit in historijs, & antiquis documentis, ex quibus Cathedralitas plenè firmata fuit in decisionibus desupèr emanatis, quodque demùm in privilegio Clementis VII. per ipsum recensito, agnoverit, illam denominatã Hispaniarum primam. Siquidèm mora facta in Hispanjis nihil influit ad scientiam Cathedralitatis, quæ ex præfatis latebat ipsiusmet Ecclesiæ Canonicos in Hispanijs natos. Generales autem exercitationes, & studia in historijs, ac veterum traditionibus nullum paritèr adminiculum præbent notitiæ rei particularis, de qua agitur, ac deniquè denominatio Hispaniarum Primæ satis congruè verificatur in prima quoad fundationē, absque eo, quod trahatur ad primam quoad dignitatem, & iurisdictionem, videlicèt Cathedralitatem. Et tamen ad effectum de quo est quæstio, durationis privilegij, tam excessivi, scientia Cathedralitatis in Papa probari debet vndique certa, & irrefragabilis, neque sufficit possibilis, & æquivoca per *Text. in cap. nonnulli de Rescript & in cap quod translationem de offic. leg. ac tradita per Betr. consl* 19.*n.*9. *Barbos. de Iur. Eccles. lib.*3.*cap.*26 §.3.*n.*41. *Rot. dec.*214. *n* 5.*par.*2.*decis.*213.*n.*19.*par* 12.*Recent. decis.*181.*n* 7.*coram bo. me. Card. Cerro, & in Carpentoracten. Decimarum* 27 *Aprilis* 1678.§.*Quo verò, coram bon: mem: Rondinino.*

Non obstat quod, privilegium obtentum fuerit prævia solutione notabilis pecuniarũ summæ titulo compositionis, quasi quod ex hac causa effectum fuerit onerosum, ita ut non subiaceat revocationi, vt innuit *Rota decis.*711.*n.*2.*par.*4.*divers. & decis.*1082.*n.*3. *coram Seraphin.* quoniam privilegium dici nequit onerosum ex solutione facta pro compositione, vtpote, quæ nonquã æquivalet privilegij valori, vt in puncto notat *Garc. de Benefic par.*6.*cap* 2 *n.*194 *Barbos claus* 8.*n.*18.*Tamburin de Iur. Abbat tom.*1.*disput.*16. *q.*12. *num.*14 & firmavit *Rota decis.*457 *n.*17.*par.*1.*divers.* vbi quod hæc opinio fuit semper in praxi servata. Et in omnem casum conclusio forsan vrgere posset, vbi ageretur de privilegij revocatione, proveniente ex facto Principis particulari, in quibus terminis loquuntur decisiones in obiecto allegatæ, secùs autèm quãdo, prout hic, agitur de revocatione,

seu magis propriè loquendo, resolutione privilegij contingente ex dispositione legis generalis: nam in his terminis resolutio locum sibi vindicat, quantumcumque privilegium sit onerosum, vt tradit *Bald. in l. fin. vers. nam video ff. de Senator. Roland. cons. 1. n. 137 Gozzadin. cons. 5. n. 21. Menoch. cons. 112. n. 3. & consil. 350. n. 10. & 11 Surd. cons. 210. n. 63 & seq. Becc. cons. 56. n. 44. & duob. seqq. Rota decis. 457. n. 15. par. 1. divers.*

Minùs relevat quod ex capite supervenientis Cathedralitatis expiret privilegiũ exemptionis dumtaxàt in casu quo illius qualitas imprimitur de novo, non autem in casu, quo, vt hìc, detecta fuit iam impressa, licèt adhùc latens, & ignorata. Quoniã in vtroque casu viget eadem ratio mutationis status Ecclesiæ, quæ nõ stat in actu materiali, & physico, sed in declaratione Papæ, atq. hominum opinione, paria enim sunt in iure nostro nõ esse, & non apparere, iuxtà *Text. in l. duo sunt Titij ff. de Testam tutel. Rota in Leod. en. Canonicatus 3. Iun. 1680. § fin. coram bo: me: Paulucclo.* Neque casus variatur ex eo, quod ante detectionem Cathedralitatis, Ecclesia subiecta esset immediatè Papæ, non autẽ Prælato inferiori ab Episcopo, in quibus terminis cesset ratio insinuata *in d. cap. cum inferior de maiorit. & obed ent.* quod scilicèt inferior iurisdictionem exerceat in Superiorem. Hæc enim ratio reddita fuit in eo Textu, quia ibi agebatur de Archidiacono, qui iurisdictionem ad se spectantem in Monasteriũ, retinere præsumebat post illius erectionem in Cathedralem, tam in ipsum, quàm in Episcopũ: at vbi, proùt in hac hypotesi, Ecclesia ipsa post declarationẽ eius Cathedralitatis allegat priorem illius exemptionẽ adversùs Episcopum, obstant etiã aliæ rationes superiùs adductæ, ac per Scribentes *in d cap.* potissimũ ponderatæ, nempè mutationis status Ecclesiæ, & coniugij spiritualis inter ipsam, & Episcopum, quæ æquè obtinent, sivè Ecclesia præcedentèr subesset inferiori, sivè Superiori.

Nec demùm turbant clausulæ privilegij tollentes omnem quemcumque defectum subreptionis, obreptionis, & intentionis, munitæ clausula *sublata, &c.* & decreto *irritanti*; quia dum idem privilegium ob tam insignem Ecclesiæ mutationem evanuit ex superiùs firmatis, ita etiã evanuerunt omnes clausulæ, quæ sunt illi famulatoriæ, ad *Text. in Clement. vnic. de concess. præben. Gabr. de claus. concl. 3 n. 82. Rota coram Cassad decis. 10. n. 4 super Regul. Cancell. & decis. 32 n. 12. par. 6. & decis. 247. n 9 par. 11. Recent.* Proùt nec etiam decretum anni 1669. datum *in hodierno Summario Capituli nu. 5.* quia illud mandat quidèm Archiepiscopum parere Brevi sa: me: Alexandri VII. super alternativa functionum in vtraque Ecclesia, non obstantibus per eum deductis in precibus Sanctissimo oblatis, in quibus inter cætera recensuit exemptionem Ecclesiæ B. Mariæ, sed nullibi dicit, an exemptio non obstet, quia scilicèt duret cum Ecclesiæ Cathedralitate, vel potiùs quia per canonizationem Cathedralitatis abrogata remanserit.

Ex facto etiam sæcularizationis privilegium exemptionis defecit, quoniam illud cõcessum fuit Ecclesiæ tanquam Monasterio Canonicorum Regularium, & ex causa finali Regularis Instituti, quod in ipso vigebat, proùt passim huiusmodi exemptiones Regularibus indulgère consuevit Sedes Apostolica, vt testatur *gloss. in Clement. 1. v. proprij de reb Ecclesi non alienand Campanil divers. Iur. Can. Rubr. 12. cap. 16 n. 2. Barbos. de Offic & potest. Episc par. 3 allegat. 105. n. 3. Card. de Luc. de Iurisdict. discurs. 1. nu. 5.* vndè sublatâ de medio Regularitate, tollitur privilegium, *cap. Abbate 25 in fin. vbi Innocẽt. propè fin. Abb. n. 16. vers. Item dicit, Hostiens. n. 17. Butr. n. 22. Gonzal Tell. in fin. de verbor. signific. Oldrad. cons. 267. n. 2. vers sed vbi tantum. Rebuff. cons. 105. n. 2. & seq. & n. 9. Suar. de legib. l. b 8 c. 33.* Non obstante quacumque asserta illius realitate, ac perpetuitate, quia stante Regularitatis intuitu, intelligitur, quatenus Regularitas perseveret, vt benè explicat *Io: Andr. in cap. cum personæ n 6. vers quæ verum dixit, Geminian in d. cap. § Si verò, num. 3. vers. refert fratrem Iacobum, Anchar an. n. 6. post med. de privileg. in 6.*

Nec ambigi valet, quid qualitas Monasterialis Ecclesiæ, ac status, & Observãtia Regularis fuerint causa finalis privilegij, id enim clarè colligitur ex omnibus illius partibus, primò scilicèt ex parte procemiali, ibi: *Circunspecta Romani Pontificis providentia, &c. contentiones, & lites, quæ Regularium personarum quietem & tranquillitatem perturbare consueverunt, è medio submovet vt personæ ipsæ nulla re, quæ eas à Divino Cultu avocet, præpeditæ, secundùm Ordinum suorum Regularia Instituta, tranquillis mentibus gratum Altissimo impendere possint famulatum, &c.* Ex prooemio siquidèm rectè delumitur

causa finalis privilegij, ad *Text. in leg. fin. ff. de hæred. instit. Gomez in Regul. de Annal. quæst. 1. num. 1. & 2. Gonzal. ad Regul. 8. Cancellar. §. 7. proœm. num. 122. Chokier. de Iurisdict. in Exemp. part. 3. quæst. 7. num. 3. Rota decis. 229. num. 15. coram sa: mem: Alexandro VIII. & decis. 668. num. 4. coram bo: me: Card. Cerro.*

Secundo ex parte narrativa, sivè expositiva status Ecclesiæ, ibi: *Proindè nos attendentes quod ijdem Prior, & Canonici dictum Ordinem tunc professi intra septa Monasterij vitam degunt, habentque suum immediatè Prælatum, videlicèt dictum Priorem de triennio in triennium à dictis Conventu iuxtà Indulta ab eadem Sede eis concessa eligi solitum, in cuius manibus professionem emittunt, ac illius correctioni, & obedientiæ, tùm in respicientibus Regularem observantiam, tùm in alijs nonnullis subsunt, quodque cõtentiones sæpè numero inter Prælatos immediatos Regulariũ Ecclesiarum, ac locorũ Ordinarios super exercitio Iurisdictionis vtrique cõpetentis exoriri, ac pleraque gravamina à sæcularibus personis, Religiosis, vt plurimùm inferri consueverunt, necnon quod Diœcesis Cæsaraugustana est ampla, ac in Regno Aragonũ adsunt alia Monasteria eiusdẽ Ordinis exempta, &c.* Ponderando primordialem illã dictionem *proindè*, quæ est designativa causæ, ex qua Papa motus fuit ad cõcedendũ, ex firmatis per *Barbos. diction. 293. Gratian. decis. March. 60. n. 2. Rot. decis. 147 in n. 46. coram Coccin. & decis. 469. nu. 11. coram Buratt.*

Tertiò demùm ex parte conclusiva, sivè exemptiva, ibi *Propterea quieti cõmmuni Religiosorum occurrere, &c.* Et rursùs, ibi: *Monasteriũ B. Mariæ, & Ecclesiã huiusmodi, ac illius Prioratũ, Dignitates, & Officia Regularia ipsius Monasterij B. Mariæ, Portionarios, & Beneficiatos nunc, & pro tempore existentes intra Claustrum dicti Monasterij B. Mariæ degentes, & habitantes, &c. omninò, & perpetuò eximimus, &c.* Patet enim respectus ad Regularitatem ex eo, quod exemptio nominatim directa, seù collata fuit in eius Monasterium, & eius Religiosos, cùm totiès repetitâ qualitate Religiositatis, Conventus, & Monasterij. Ac rursùs ex eo, quod specificè restricta fuit ad degentes, & habitantes intra Claustra Monasterij.

Neque in contrarium viget, quod inter causas privilegij narrata fuerit etiam illa litium, & controversiarũ, celebritatis Ecclesiæ, & cultus fideliũ, quod deficiat in illo clausula *dummodò Regularis ordo servetur*, quodque demùm exemptio cõcessa fuerit nedùm Monasterio, ac Religiosis, & eorum bonis, verùm etiam sæcularibus personis intra illius Claustra degentibus: quia quoties agitur de exẽptione Monasterij, eiusq; Religiosorum, semper causa finalis exẽptionis censetur ratio vitæ Religiosæ, cùm ex hac etiã Summi Pontifices plerũque moveantur ad exemptiones Regularibus impertiendas. Cæteræ autem causæ censentur accessoriæ, seu potius occasionales, & impulsivæ, vt de causa litiũ, & controversiarum tradit *Chokier de Iurisdict. in exempt. p. 3. q. 7. n. 2.* & de altera cultus fidelium *Rota in Hispalen. Decimarũ de Xerez 17. Aprilis 1679. § Quibus non adversatur coram clar. mem. Card. Matthæio.* Defectus præfatæ clausulæ *dũmodò &c.* (vltrà quod petit principiũ) nihil officit, cùm non semper in Regulariũ privilegijs apponi soleat, vt cõstat ex pluribus collectis *apud Lezzan. Oper. moral. tom. 3.* Et demùm exemptio bonorum Monasterij, & sæculariũ personarum in eo degentium, famulatur eidemmet causæ motivæ Regularitatis, prout etiam patet ex eo quod, vt præfertur, respectu sæculariũ personarum exemptio limitata fuit ad degentes intra Claustra Monasterij.

Nulla deniquè vis fieri valet in præservativa privilegiorum, & exẽptionum Ecclesiæ cõtentà in litteris sæcularizationis, quia illa fuit successivè modificata *quoad ea, quæ* (vt sonant verba præcisa) *sunt in vsu, nec revocata, nec sub generali revocatione cõprehensa, nec statui sæculari, & Sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis, nec non Concilij Tridentini decretis adversantur*, proùt certè ex hoc vsque firmatis, & generalitèr revocata, & cum statu sæculari incõpatibilis, & præfatis omnibus Canonicis sanctionibus adversa est exemptio, de qua agitur; imò ex eisdemmet litteris sæcularizationis exemptio videtur adẽpta potiùs, quàm confirmata, cùm in illis expressa legatur lex, sivè conditio, quod in omnibus, in quibus non fuisset specialitèr derogatũ, servarentur litteræ alterius sæcularizationis Ecclesiæ S. Salvatoris, quæ (vt ex earum lectura cõstat) præseferunt explicitam subiectionem Ecclesiæ, & Capituli, Iurisdictioni, ac Visitationi Archiepiscopi.

Et ità, &c. Vtraque, &c.